



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio II. Non posse ex natura rei esse eam unionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

SECTIO II.

SECTIO III.

Non posse ex natura rei esse eam  
unionem.

Nec de potentia absoluta.

SUBSECTIO I.

Aliquorum rationes.

§. 5. **A** Nimam Christi non posse ex natura rei uniri immediatè intellectui, & voluntati Dei est certum. Ne autem quæstio sit anceps, non solum ago absolute ex conceptu naturali humanitatis: sic enim est certissimum nec unionem hypostaticam, nec gratiam, nec aliquid supernaturale contingere humanitati ex natura rei, nec de lege ordinaria debita ipsi humanitati: vitur enim Deus ijs in rebus potentia sua absoluta, & legibus supra naturam, huic naturæ minimè debitis. Ago autem ex suppositione primi miraculi unionis hypostaticæ: an absque nouo miraculo sequatur unio ad intellectum & voluntatem? In hoc sensu dico non esse possibilem de potentia communi eam unionem, quia hæc est præcisè humanitatis cum hypostasi immediata coniunctio: ad absoluta autem nec est immediata unio, nec illam infert naturaliter: vt ignis infert calorem, lucem sol, sed impediri potest absque miraculo.

§. 6. Obijcis, Unio hypostatica infert naturaliter gratiam habitualement, visionem Dei, & corporis gloriæ: ergo & unionem ad intellectum, & voluntatem Dei. Antecedens est certum: quia illa omnia debita sunt filio naturali: quia naturalis est. Primum autem omnium miraculorum, quæ Deus iam homo effecit, fuit priuare suum corpus gloria. Consequentia autem probatur: quia filio naturali debetur communicatio omnium bonorum. Nego consequentiam. Ad probationem, respondeo non deberi filio omnia bona possibilia; sed illa quæ sunt propria filij, & quibus vti potest in natura, in qua est filius. Christo vt Deo debentur illa bona: quia non potest natura diuina, ex qua & supposito est filius, vt alijs formaliter, quæque illi sunt connaturalia: at Christo vt homini non debentur: quia humanitas (ex qua & supposito est filius naturalis etiam vt homo) non est capax illorum bonorum: quia nulla natura est capax actuum vitalium alius: quia connaturaliter viuens non petit actus alienos. at gratia & visio illi debentur: quia iam est in ordine supernaturali per unionem, & quia humanitas est illorum capax.

§. 7. Confirmatur. Unio ad intellectum & voluntatem esset totius Trinitatis Incarnatio, vt sæpè probaui impugnans unionem ad subsistentiam, existentiam, & sanctitatem communem: sed hæc unio non sequitur tam naturaliter, vt necesse sit miraculum ad eam impediendam: vt rectè probauit S. Anselmus: ergo. Minor probatur: quia personæ sunt realiter distinctæ: nec opus est, vt quod vni conuenit ratione hypostasis, cæteris quoque conueniat.

§. 8. Hæc doctrina est definita in VI. Synodo generali act. 4. ad medium, ijs verbis: *Nec enim poterit angelica natura diuinam habere voluntatem, aut humanam; nec humana natura voluntatem Dei, aut angeli.* Vbi Concilium probat, humanitatem Christi vsam actibus intellectus & voluntatis humanis: quia non potuit angelicis vt, nec diuinis. vt autem argumentum sit bonum, opus est vt sit de impotentia saltem naturali.

Per. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

§. 9. **H**Ac in parte diuisi Theologi. Affirmant antiqui nonnulli, non repugnatè diuinitus humanitatem esse intelligentem formaliter in intellectu increata. quibus recentiores nonnulli subscribunt. id autem negat maior pars tam fixè, vt conetur oppositam sententiam temeritatis accusandam. Horum sententiæ ego assentior, à censura dissensus: sine vilo enim periculo potest pars affirmatiua defendi: quia nec in sacris Litteris, nec Concilijs, nec à Pontificibus ea de re aliquid est decretum; nec illa in parte alicui fauetur erroris; nec per consequentias aliquid contra fidem deducitur; nec deserta est grauium auctoritate Doctorum; est que cõtrouersia philosophica magis quàm Theologica: quamuis enim est de subiecto Theologico; dirimenda tamen ex solis philosophicis principijs.

§. 10. Eam aliqui probant ex Agathone in VI. Synodo generali act. 4. ad finem epistol. Ex quibus testimonijs claret (inquit Pontifex) *vnquamque naturam propriam naturalem habere, & vnique assignari debere voluntatem: nec enim poterit angelica natura diuinam habere voluntatem, aut humanam; nec humana voluntatem Dei, aut angeli.* Ait autem inferius: *Certissime claret, in Domino Iesu Christo duas, id est, Dei & hominis, naturas, siue subsistentias, in vnâ conuenisse subsistentiam, siue personam: necesse & duas nos naturales in eo fateri voluntates, diuinam scilicet, & humanam; nec diuinam eius, quantum ad naturæ rationem pertinet, humanam habuisse voluntatem dicendum est; nec humanam eius diuinam naturaliter habuisse voluntatem credendum est: nec rursus aliquam ex eisdem duabus Christi substantijs absque naturali exitu esse voluntate fatendum est.*

§. 11. Respondeo ab Agathone, non esse sermonem de potentia absoluta; sed de ordinaria. Primum, quia ait, naturaliter non posse id fieri: quamuis enim ego existimo id naturaliter non accipi pro eodem ac secundum leges naturæ; sed pro consentaneo naturæ, siue pertinente ad naturam: & voluntatem naturalem non accipi vt opponitur supernaturali; sed pro spectante ad naturam: at si quis dicat, naturaliter ibi etiam accipi pro connaturaliter; effugiet censuram. Quod si obijcias, hæreticos non dixisse humanitatem posse connaturaliter intelligere formaliter scientia increata; Respondeo ex §. 5. accipi naturaliter pro connaturaliter ad unionem hypostaticam: ita vt Pontifex non solum damnet connaturalitatem cum humanitate secundum se; sed etiam vt vnita Verbo: Christus enim vt homo non videt Deum, & connaturaliter absolute cum humanitate, sed connaturaliter cum humanitate vt vnita Verbo. Ita Pontifex dixit humanitatem nec connaturalitate secundum se, nec cum unione, posse vt actibus diuinis: at non egit de potentia absoluta opposita vtrique connaturalitati. Christus ergo naturaliter videt Deum: non quod visio sit

Ff 3 con-